

DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS, manè diſcutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis vigeſimo-ſeptimo menſis Januarii, anno Domini M. DCC. LII.

PRÆSIDE,

M. CLAUDIO DE LA VIGNE DE FRECHEVILLE, Reginæ Medico Primario, necnon Regis & Sereniſſimæ Delphinæ ordinario, Doctore Medico.

An in febribus curandis venæſectio cautela tantum?

I.

EA eſt ſolemnis à naturâ inſtituta lex, ut intra horæ minutum ſexagies cor contrahatur, ſexagies micent arteriæ. Quoties igitur datum intra tempus frequentiùs cor ſe ſe contrahet, ſalient ve arteriæ, toties hominem jure ac meritò febrire dixeris. Simplicior hæc febris idea, eoque nomine commendanda imprimis, quòd & omni febri & omni febris tempori conveniat. At quæ ſimplex in fronte febris, hæc quam multiplices formas induit! Quàm variis iiſque intricatiſſimis ſtipata graditur phœnomenis, quæ feliciores forſan, ocu-

latiores ve poſteri enodabunt, quibus verò evolvendis perperam inſudarunt hactenus, in cæteris naturæ arcanis lincæi licet, phyſici. Viden ut luſus inſolentes quandoque ludere amet! Miſereque vexet ægros, Medicos torqueat! Ut quamvis & ſimptomatis & phœnomenis ſit fere ſui ſimilis, fucum faciat tamen, incautoſque male ludat! Senſerat illud non ſemel Sydenhamus febris verſatile genium, querebaturque (*a*) quod in iiſdem febribus, vertente anno, eâ methodo jugularentur ægri, quâ currente anno feliciter fuerant liberati. Adeò verum eſt callidè ſagaciterque Medico odorandam eſſe febrium indolem, ut in lubricæ praxeos aleâ conſtitutus, quaſnam in partes agat ſe ſe, protinùs videat, & præſentiſſima febris remedia, à cautelis quibuſdam prudens valeat ſecernere.

(a) De morb. Epidem. Sect. 1. cap. 2.

I I.

FEBRIUM omnium quæ extant, geminam quaſi familiam conſtituimus, *humoralium* ſcilicet, & *non humoralium*. Humorales eæ ſunt, quæ & materiam febrilem habent, & à vitiato ſanguine oriuntur. Non humorales dicas, quæ materiam febrilem agnoſcunt nullam, nec pendent à ſanguinis corruptelâ; producuntur autem à vividâ nervoſi ſyſtematis commotione. Hujus proſapiæ ſunt febres à læſâ parte nerveâ, à puncto tendine, à vividâ inflammatione, &c. de his mittimus quærere, ſunt enim merè ſymptomaticæ. Agitur hîc tantùm de febribus primæ claſſis, quæ ſolæ morbum conſtituunt. Harum cauſam inquiris? Habes multiplicem. *Cauſa proxima* crebrior ipſamet cordis contractio. *Cauſa remota* res, quas vocant, non naturales. *Cauſa verò materialis* phyſicum quid, quod præſens febrim ponit ſtatim; quo deſtructo, aut foras amandato ceſſat febris. Erit autem phyſicum illud, fluidum vitiatum, aut miaſma quoddam in ſanguine hærens, ibique vel per chyli vias delatum, vel ab impeditâ ſecretione aut excretione relictum, aut ex ſuppuratâ parte reſorptum, aut à corrupto aëre, corporibuſve externo corpori applicatis inſitum. Vix alium poſſis materiæ febrilis aſſignare fontem. Quo pacto autem tantos cieat tumultus materia hæc quandoque *tantillula*, quis explicet? Si quid tamen conjectando poſſumus augurari, triplici modò agere concipitur. Liquida inſpiſſando, ſanguini effervefcentiæ motum conciliando, aut ipſas cordis ſtimulando fibras. In febre autem quocumque modo excitatâ, ſemper adeſt reſiſtentia in capillaribus, quâ datâ facilè mechaniſmum febrilem deducas. Objectos enim in capillaribus obices perrumpere non poterit ſanguis, niſi actio cordis in reſiſtentem columnam nitentis adaugeatur. Cordis autem actio non poterit intendi, quin fiat nervorum ſtaminum quaſi diſtractio, vividiorque commotio, undè ex œconomiæ animalis legibus, major erit ſpirituum in cor influxus, ac proindè crebrior cordis contractio. 2°. Datâ eâdem reſiſtentiâ in capillaribus, cor in ſyſtole ſuâ partem tantum ſanguinis in ventriculis contenti exprimet, ergò ventriculi non omninò evacuati breviori temporis ſpatiolo replebuntur, ergò citiùs redibit altera contractio. Ex aſſignatis febrium cauſis indicationes exurgunt therapeuticæ, quibus utrùm reſpondeat venæſectio perpendendum.

I I I.

SI excellentium in arte quâcumque virorum, prima ſemper ea fuit præcipuaque regula, ut naturam æmularentur, quantò magis hæc eadem ſacra Medicis eſſe debet, qui naturæ devoti & quaſi mancipati, hanc in omnibus intueri, unicam ſequi, ipſique vicariam quaſi manum præbere gloriantur? Ut igitur facem curanti Medico præmonſtret, hanc propiùs intueri lubeat febres ſolventem, quadruplicique modo hoc opus ab-

ſolvi deprehendes. 1°. (*a*) *Quoties materialem febris cauſam inſenſibilis perſpirati ſpecie expellit.* 2°. *Si materies vi febris ſubacta, ſoluta, mobilis reddita..... ſenſibili quâdam evacuatione expellitur; hinc ſudor, ſaliva, vomitus*, &c. 3°. *Cùm materia febris ſubacta, ſoluta, mobilis reddita, ſanis... aſſimilata humoribus fluit ſine ullâ criſi.* 4°. Deſtructo materiæ febrilis fomite, ſanato, verbi gratiâ, ulcere, &c. Quis autem talia à ſanguinis miſſione expectet? An corruptos humores detrahet venæſectio? Quaſi verò ſtupendâ prorsùs electione, viam hanc affectaret circulationis torrente abrepta materia febrilis? An acriores hujuſmodi retundat aculeos? An pus ex ulcere reſorptum, miaſmata aut ab aere hauſta, aut à corporibus externæ cuti applicatis ſuppeditata evacuabit, deſtruet? An ſucci digeſtivi corriget vappiditatem aut inertiam, undè tot pravorum ſuccorum apparatus? Credat Judæus Apella: nos verò præter vaſorum depletionem, ſolidorum relaxationem, febriliſque impetus remiſſionem qualemcumque, vix quicquam ſperamus. Veniunt in noſtræ communionem opinionis melioris notæ Practici, obſervantque (*b*) malignas febres diſſipatis viribus incrementum ſumpſiſſe majus à venæſectione, & intermittentes, lentas magis, diuturnas & rebelles factas fuiſſe. Cavebat Sydenhamus (*c*) à venæſectione in febribus, præſertim in ægris minùs ſanguineis, monetque venæſectione, ſi celebretur, fieri ut in longiſſimum tempus morbus procurrat, atque ægri mille ſymptomatis, iiſque periculoſiſſimis exponantur. Horum veſtigia premens Boerhaavius (*d*) venæſectionem ibi tantùm ſuadet, ubi febrilem impetum frænare animus eſt, hancque audacter affirmat in febribus intermittentibus (*e*) *ſemper per ſe nocere.* Conſultiùs igitur ille, qui naturam æmulatus, materiam febrilem ſataget diluere, ſolvere, mobilem reddere; ſicque naturæ vires fovebit, nedum venæſectione enervet, ut datas ſibi in debellandâ febre partes gnaviter alacriterque tueri poſſit. Sapientiùs qui muniens ſeſe adversùs vim præjudiciorum à venæſectione in febribus abſtinebit, Celſiani hujus moniti memor, (*f*) *ſanguinem mitti novum non eſt, ſed nullum penè morbum eſſe in quo non mittatur, novum eſt.*

(*a*) Boerhaav. Aphor. 594 & 595.

(*b*) Hoffm. de Febrib. p. 302. Edit. 1749.

(*c*) De morb. Epidem. Sect. 1. cap. 5.

(*d*) Aph. 600.

(*e*) Aphor. 762.

(*f*) Lib 11. cap. 10. pag. 77.

IV.

SUUS eſt tamen venæſectioni locus, ſua ſunt illi tempora; eſt ubi illam, non ut præſens febris remedium, ſed ut prudentem cautelam adhibeas. Jacet febre correptus vir toroſus, ſiccus, ſanguineoque habitu; qualem heu videas ſymptomatum ſævitiem! fervidâ vi rapitur ſanguis, pulſum interrogantis urit digitos cutis ignea; eſt flamma medullas; ignei ſcintillant oculi; caput dolor occupat atrociſſimus; delirat..... quid plura? Febris quaſi laxatis furens habenis, undique minatur, ubique portat incendium; aut cita mors venit, aut peſſima manent incommoda. Ergò age, debacchanti ferociùs frænum injice, venam pertunde, imminutiſque naturæ viribus, primò febrim compeſce, cauſam deindè debellaturus. Times ne, ruptis æſtu febrili tenellulis encephali vaſis, lethalis oriatur apoplexia? Ne ſanguinis nimiâ velocitate liquidiſſima corporis diſſipentur, hæreatque ſanguis in tortuoſis vaſorum anfractibus immeabilis? Ad venæſectionem confugito, imminutâ ſanguinis copiâ, remittet vaſorum tenſio, liberiori fluet ſanguis alveo, tutuſque ab omni periculo febris cauſam exagitabis. Hâc methodo ad gloriam iter affectabant (*a*) Sydenhamus, (*b*) Hoffmannus, Boerhaavius, quorum, brevitati conſulentes, verba mittimus; at ne tantorum authoritate nominum ductus modum tranſilias, nec vitando caribdim in ſyllam incidas;

(*a*) Sect. 1. cap. 4. febr. Comm. ann. 1661.

(*b*) Tract. de febr. pag. 302. Vid. & diſſert. de venæſectionis abuſu.

ſcito non tam morbi, quàm naturæ vires venæſectione frangi. Caveas igitur ne dum quibuſdam voles occurrere ſymptomatis, ita naturæ vires proſternas, ut ſuum opus nequeat abſolvere.

V.

OPINIONEM noſtram omnia comprobant; nec ſolius rationis patrocinio, ſed Medicorum omni ætate præſtantiſſimorum ſuffragiis nititur. Suum ſibi poſſet vindicare Hippocratem, poſſet & Galenos, Celſos, Duretos, Hollerios, quales quantoſque Viros, appellare. Attamen cùm abundet venæſectio & hoſtibus & patronis, cùm alii venam ſecare ament, alii graviſſime pertimeſcant, non deerunt fortaſſe qui Græcos nobis obtrudant uſque ad animi deliquium, feliciterque ſanguinem mittentes: id quidem ultrò concedimus. At quid eorum exemplum contra nos? Attende tali ſanguinis miſſione ad deliquium uſque, plerumque aut vomitum excitari, aut alvum ſubduci, aut ſudoribus ægrum diffluere. Quid mirum igitur ſi evacuatâ materiali febris causâ, ſuccedat curatio; quæ tunc, non tam ſanguinis miſſioni tribuenda, quàm in hujus effectum refundenda. Præterea cùm talem ſanguinis miſſionem ſenſilis hæc non ſemper ſequatur evacuatio, neglectâ tutiori methodo anceps tentare remedium non decet. Inſtabit venæſectionis propugnator ſaltem eſſe febres quaſdam à plethorâ, quarum venæſectio remedium; quaſi verò plethora ſola, non verò labes humoribus ab ipsâ plethorâ inuſta, febrim excitaret. Ratum igitur inconcuſſumque manebit non tam ad ſanandas febres, quàm ad graviora earum præcavenda ſymptomata, venæſectionem eſſe inſtituendam.

Ergò in febribus curandis venæſectio cautela tantùm.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Franciſcus - David Heriſſant, Regiæ Scientiarum Academiæ, Regiæque Societatis Londinenſis Socius.

M. Jacobus-Franciſcus le Chat de la Sourdiere, Chirurgiæ Profeſſor.

M. Joannes - Franciſcus Iſez.

M. Carolus - Franciſcus Boutigny des Preaux.

M. Petrus Lalouette.

M. Petrus-Joſephus Macquer, utriuſque Pharmaciæ Profeſſor, & Regiæ Scientiarum Academiæ Socius.

M. Leander Peaget, Conſiliarius Medicus Regis ordinarius in ejus Caſtelleto.

M. Ludovicus - Alexander Vieillard.

M. Ludovicus - Guillelmus le Monnier, Conſiliarius Medicus Regis ordinarius in Noſocomio Regio San Germani in Layâ, Regiarumque Pariſienſis, Londinenſis ac Berolinenſis Academiarum Socius.

Proponebat Pariſiis EDMUNDUS-THOMAS MOREAU, Senonenſis, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus, A. R. S. H. 1752, A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1752.